



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De B. Benincasa, Abbate VIII Cavensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

dem Regis Edelburg. Utraque cum esset peregrina, præ merito virtutum ejusdem monasterii Brigensis est Abbatissa constituta. *Hæc ille. Ab ipso Anna sanctissimo Rege in Galliam erat missa cum sorore Sethrida, ut ex Henrico Huntindoniensi colligitur, ita lib. 3 historiar. scribente*: Minorem vero filiam suam Edelburgh, et filiam uxoris suæ Setrid miserat Rex Anna ad monasterium Bruges ad serviendum Domino. Quæ utraque cum esset peregrina, merito virtutum Bregensis Abbatissa effecta est. Tunc siquidem mittebant Nobiles Angliæ filias suas erudiendas in Bruge, et in Kala, et in Andilegum monasterio. Misit et Ercembert Bruges filiam suam Ercengotam Christi virginem sanctam et præclaram. Cujus opera virtutum, cuius signa miraculorum ab incolis loci illius usque hodie narrantur.

vita religiosa,

3 Meminit quoque Sethridæ *Nicolaus Harpseldius sec. 7, cap. 17, et Sædridonem vocat: sed quod ejus matrem, Ethelburgæ novercam facit, hæud nobis probatur. Fuit enim S. Hereswida, soror S. Hildæ, S. Edwini Regis et Martyris neptis, primum alteri viro nupta, eique Sethridam peperit. Eo mortuo, Annæ Regi Orienta-*

lium Anglorum jungitur, cui S. Sexburgam, S. Etheldredam, S. Ethelburgam, S. Witburgam, Adulphum Regem, et S. Jurminum genuit. Anna vero a Penda Merciorum crudelissimo Rege, anno Christi DCXV interfecto, in Galliam abiit, inque Calensi cœnobio vitæ reliquum sanctissime exegit, coliturque XXIII Septemb. S. Hilda XVII Novembr., S. Sexburga VI Julii, S. Etheldreda XXIII Junii, S. Ethelburga VII Julii, S. Witburga XVII Martii, S. Edwinus XII Octob.

Ex ms. mater, sorores, fratres,

4 Cum vero ab ipso Anna Rege; qui an. 654, occubuit, missa sit in Galliam Sethrida, hinc de ejus ætate fieri conjectura potest. An ipsa prior cœnobio præfuerit, an Ethelburga, quæ junior erat, non constat. Martyrologium Anglicanum innuit sorori successisse Sethridam: sed fallitur dum hanc quoque Annæ Regis filiam vocat. *Claudius Robertus in Gallia Christiana S. Edelburgim ait S. Pharæ in monasterii regimine successisse, nulla Sethridæ facta mentione: at non recte Regis Orientalium Saxonum illam fuisse filiam tradit. Orientalium Anglorum voluit scribere. Utraque sub S. Pharæ disciplina religiøsæ vitæ tirocinia posuit.*

præfectura.

DE S. ALDO EREMITA, PAPIÆ IN ITALIA.

X JANUARI.

Ferrarius in catalogo generali Sanctorum isthæc scribit, IV Id. Janu. Papiæ S. Aldi eremita. Ast in catalogo Sanctorum Italiæ: S. Aldus quando et ubi vixerit, adhuc scire minime potui: ejus corpus Papiæ primum in sacello S. Columbanii conditum fuit, inde in basilicam S. Michaelis translatum est, ibique natalis ejus celebrari solet. Meminere illius *Jacobus Gualla lib. 6, cap. 8. San-*

ctuarii, *Stephanus Breventanus lib. 3, histor. Ticiensis; qui tamen corpus in cathedrali ecclesia quiescere scribit; et Arnouldus Wion lib. 3, ligni vitæ in additionibus: ex quo loco, S. Aldum monachum Bobiensem vitam eremiticam in finitimis locis egisse, conjici potest. Hæc Ferrarius. De Bobio illustri monasterio agemus XXI Novembr. ad vitam S. Columbanii.*

DE B. BENINCASA, ABBATE VIII CAVENSI.

AN. CHR. MCGIV. X JANUARI. Cavense cœnobium.

Ejus sancti Abbates.

B. Benincasa natalis.

ætas.

Cava civitas est in Campaniæ agrique Picientini confinibus, a situ loci vocata, ut *Leander in Campaniæ descriptione, media fere inter Salernum ac Nuceriam. Juxta Cavam antiquissimum amplissimumque et opulentissimum prædium cœnobium est, Cavæ nominatum. De hujus fundatione agemus in vita S. Alferii. Coluntur quatuor primi Abbates officii propriis et Missa. S. Alferius XII April. S. Leo XII Julii, S. Petrus IV Martii, S. Constabilis XVII Februarii. In aliorum multorum solemnitatibus fit sacrum de sanctissima Trinitate, nimirum B. Simeonis quinti Abbatis XVI Novembris, B. Falconis sexti V Junii, B. Marini septimi XV Decembris, B. Benincasæ octavi hoc die, B. Petri II noni XIV Maii, B. Balsami decimi XXIV Novembris, B. Leonardi undecimi XVIII Augusti, etc.*

2 B. Benincasæ X Januarii natalem designant *Hugo Menardus, Benedictus Dorganus, Arnouldus Wion in Martyrologio monastico, his verbis: In monasterio sanctæ Trinitatis Cavæ, depositio B. Benincasæ Abbatis, addunt Wion et Dorganus: miraculorum gloria insignis. Electus est illius monasterii Abbas Kalendis Februarii 1171, præfuitque usque ad IV Id. Januarii 1194, quo vita excessit, et in sacra crypta cum ceteris sanctis Patribus conditus est.*

3 Hic vir beatus ex Cavensi monasterio centum monachos sub Theobaldo Patre in Siciliam destinavit ad famosissimum Montis regalis cœnobium, quod anno Domini 1174, Rex Guilielmus II, cognomento Bonus, mirifico sumptu constructum atque dotatum, eidem juxta Cavensis congregationis normam instituendum, ac divino cultui regularique observantiæ mancipandum commiserat. Fuitque Theobaldus ipse ejusdem monasterii primus Abbas, ejusque; successor Guilielmus Abbas et Archiepiscopus, alique post ipsos aliquot Cavenses monachi ejusdem dignitatis et regiminis successores. *Hæc ad nos Neapolitæ Cavensis monasterii monumentis Antonius Beatus noster. Quibus consentanea refert Wion in Notis. De eodem Montis regalis cœnobio Fazellus rer. sicular. decade 1, lib. 8, illud inter cetera scribit, omnibus fanis non solum Italia, sed toto etiam terrarum orbe excitatis, eo genere structuræ præferendum, etc. Agit de eodem decade 2, lib. 7, ubi tradit Guilielmum secundum ejus Abbatem, auctoritate Lucii III, (qui ab an. 1181, ad 25 Novembr. 1185, sedit) Archiepiscopum esse factum. Citat ibidem Fazellus diploma variarum donationum ei monasterio factarum an. 1176.*

Montis regalis in Sicilia monasterium.

DE S. GUILIELMO EREMITA, ARCHIEPISCOPO BITURICENSI.

AN. CHR. MCGIX. X JANUARI.

S. Guilielmi natalis.

Non omnium, qui in album relati sunt Sanctorum, inscripta Martyrologio Romano nomina sunt. Guilielmi certe Bituricensis Archiepiscopi ab Honorio III, anno Christi 1218 consecrata canonice memoria est, necdum tamen in publicis Romanæ Ecclesiæ tabulis consignata, licet id asserat *hrysostomus*

Henriquez in Menologio Cisterciensi, ubi eum insigni ornatu elogio. De eo Martyrologium excusum Lubecæ an. 1475. Bituricas depositio B. Valhelmi Episcopi et Confessoris. Usuardi Martyrologium auctius editum Parisiis an. 1536. Bituricas natalis S. Guilielmi ejusdem urbis Archiepiscopi, vitæ et miraculis gloriosi. Eadem fere habent Martyrologium.